

cælo a quo lucem, calorem, virtutem generativam rerum omnium, quibus ipsi fruuntur? Eo igitur accepta refundant; inde enim velut ab oceano iterum ad ipsos redibunt suo tempore, si non in hoc, certe in altero sæculo. Nonne cælum eas, quæ a terra attrahit exhalationes et vapores, iterum ei restituit per salutarem pluviam maximo cum fœnore? Nonne quando videmus nebulam sursum ascendere et attrahit a sole, statim ominamur secuturam altero vel eodem die pluviam? Nonne dicere solemus: Nebula hæc de cælo brevi ad nos redibit in pluvia? Et quoties dicimus post longam siccitatem, si pluat, aurum pluere, triticum pluere et vinum? Sic res se habet cum elemosyna: quicquid per manus pauperum attrahit ad se Deus ex tua elemosyna, certissime tibi restituet cum grandi usura.

Postquam igitur vidimus quam æquo et salubri consilio miraculum hoc in panibus Christus ediderit, superest, ut ipsum non solum agnoscamus velut Deum omnipotentem, sed etiam amemus velut patrem et altorem liberalissimum. Imitemur pium illum populum hod. evangelii, et rapiamus Christum Dominum, ut sit rex noster, nosque servi ejus. Dicamus ei, quod illi Isa. III. *Princeps esto noster, qui tu es medicus, qui possis mederi necessitatibus nostris: In domo tua est panis.*

CONCIO II.

VULGUS SEU TURBA HOMINUM MISERATIONE DIGNA.

I. Quia sunt vexati. — II. Quia jacent. — III. Quia sunt velut oves sine pastore.

THEMA.

Misereor super turbam. Marci VIII.

De potentissimo illo Persarum rege Xerxe scribit Herodotus, l. VII. Valerius Max. l. IX. et alii, spectasse eum ex alta specula in Abydenis campis juventutem suam bellicam, ingenti exercitu Hellespontum operientem, eaque visa ingemuisse et illacrymatum esse. Causam interrogatus a patruo suo Artabano, respondit: *Subiit animum meum cogitatio, quam brevis et misera sit hominum vita, quando ex tam numerosa multitudine, post annos centum, nemo superfuturus est.* Salvator etiam noster, summus gloriæ rex, in aodierno evangelio videns ex monte non exiguam turbam multitudinem, ingemuit super eam dixitque: *Misereor super turbam*; non quidem, quod intra centum annos morte consumenda esset (quod jam olim decreto Dei statutum est) sed quod, fame laborans, nisi reficeretur, vitæ discrimen incursum; seu, ut alibi in simili spec-

culo, apud Matth. IX. dicitur: *Videns turbas misertus est eis, quia erant vexati et jacentes, sicut oves non habentes pastorem.* Non tam ingemiscit ob inediam corporum, quam animarum; nec ob sacerdotes et pastores, legisperitos, Pharisæos, Scribas, sed ob turbam et oves seu promiscuum vulgus, quod sane miseratione maxime dignum, et quidem ob causas illas, quas indicavit Dominus, Matth. IX. uti mox videbimus.

I. Quia sunt vexati: in primis a rectoribus sæpenumero malis, a quibus inquietantur et trahuntur in omnem partem quocumque illi præeunt: cum hæreticis fiunt hæretici, cum Lutheranis Lutherani, cum Calvinistis Calvinistæ, mutant religionem quoties illi mutant. Unde bene S. Basilius, ep. LXXXII. ad Patrophilum episcopum scribit: « Homines similes sunt nubeculis, pro ventorum immutatione ad aliam atque aliam aeris partem jactatis. Quorum iudicia ne morarentur, sed per evangelia absolute instituerentur, » existimat ibidem se convaluisse e gravi infirmitate. Ergo, ut a vento nebulæ, ita a principibus trahuntur et circumferuntur turbæ. Patuit in Hebræis, qui in gratiam suorum regum idola colentium, et ipsi ea coluerunt, nunc ista, nunc illa: uti in gratiam Jeroboam deficientes a Salomone et filio ejus, et in gratiam Jehu, deficientes a rege suo Achab colendo vitulos pro Baal, quem coluerunt prius sub Achab; de quo queritur Oseas, c. VII. *In malitia sua lætificaverunt regem, et in mendaciis suis principes.* Idem fecerunt in Ægypto, ubi cum Ægyptiis Ægyptiorum idola coluerunt, ac postremum, quando in gratiam suorum principum Annæ et Caiphæ Christum, quem paulo ante glorificaverant, et cum triumpho in civitatem introduxerant, reum mortis exclamarunt et ad crucem postularunt. Cujus levitatis et inconstantie causam reddidit apposite Marcus Vigerius, chorda VII. c. CXVIII. in hæc verba: « Quare principes sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent? Mare sine vento nemini nocet, utque libet, sese exhibet remigabile: vento percitum, remis attingi non potest: velis agendum est pro ventorum arbitrio; quod si magis desævierint, vela discindunt: temonem loco dimovet fluctus; ita, pro impetu tempestatis vique ventorum, mare extollitur, convolvitur, rapit atque submergit. Plebs quoque sibi dimissa placabilis est, ad prosequendum justum et æquum facile persuasibilis: hanc primores pro auctoritate suis affectibus quasi ventis inquietant, rapiuntque specie consilii, quocumque volunt, et sæpe in furias perniciemque sui trahunt. » Quod certe experti sunt postea Judæi, quando ob hoc sce-

lus exterminati, et per orbem dispersi ac subjugati sunt.

Secundo, deinde a se invicem, dum unus alterum vexat et inquietat, ad vitia pertrahendo, et a virtutum cursu impediendo. Testatur Seneca, l. de beat. c. 1. « Nihil nos, inquit, majoribus implicat malis, quam, quod componitur ad rumorem, optima rati ea quæ multorum assensu recepta sunt, nec ad rationem sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coactio aliorum super alios ruentium, quod in strage magna hominum evenit: cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium post se trahat. Primi exitio sequentibus sunt, etc. » Ejus rei typus fuit illa turba, quæ impediit Zacchæum, ne videre Christum in terra constitutus posset. Unde de eo Eusebius Emisenus (ut putatur) in hom. *Mala turba, inquit, quæ a tali tantoque bono hominem deturbat.* Cuperet quis toto pectore vivere semper sobrius, sed ecce veniunt et invitant amici se ad ipsius mensam. Quid hic agat? Parare lautius prandium cogit, meliora vina deprimere, hospites ad hilaritatem excitare, præbivere, respondere, ad tres quatuorve horas mensæ assidere. Hinc mane capitis dolor, temperantiæ jactura æque ac pecuniæ. Vellet alius avidis auribus attendere concioni; sed ecce turba murmurans aut socii fabulantes mentem ejus avocant, et ad sua colloquia trahunt; quomodo ex Judæis multi dicebant ad alios Christi auditores: *Dæmonium habet et insanit, quid eum auditis?* Jo. X. § XX. Desiderant alii per frequentem confessionem et communionem Deo se unire; at hoc inusuetum esse turba oggannit, ad convivia potius, ad ludrica invitat, et tantum non cogit suis vexationibus. Hæc causa est, cur David exul a Judæa, inter gentiles degens, dixerit ad Saulem de aulica ejus turba: *Ejecerunt me hodie, ut non habitem in conspectu Domini, et dixerunt: Vade, servi diis alienis.* 1. Reg. XXVI. Loquitur de illis, qui instigarunt Saulem, ut Davidem prosequeretur. At ubi hi dixerunt Davidi: *Vade et servi diis alienis?* Facto, non verbo dixerunt, quando coegerunt eum a Judæis profugere ad gentiles. Hoc enim aliud non erat quam impellere in idololatriam. Quid enim vexationis et tentationis pati utique inter gentiles non debuit David Judæus? Quare tu, aiebant, nostrum panem comedis, et cantilenam nostram non canis? Tu solus hic alium Deum coles, quam nostrum? An nostros cibos spernis? Nescis alios Judæos, quoties ad nos profugerunt, coluisse deos nostros? Quis, quæso, turbæ hujus impetus sustineat? Hinc S. Augustin. serm. CLXIV. de temp. baptizatos graviter monet: *Timeo de vobis non tantum a paganis, non a*

Judæis, non ab hæreticis, quantum a catholicis. Eligite vobis de populo Dei, quos imitemini. Nam si turbam imitari volueritis, inter paucos angustam viam ambulantes non eritis.

II. Quia sunt jacentes. Ubi? Primo, in terra, hoc est, in terrenis bonis; atque in primis in carnis cura, voluptatibus, et commoditatibus carni blandientibus; quos deplorat apostolus ad Philip. V. dicens: *Multi, (ecce vulgus et turbæ) ambulat, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus venter est, q. d. qui soli ventri student, ejusque commoditatibus. Testatur id ipsum Thucydides: Vulgus hominum cupiditatibus agitur, inquit, non ratione. En Corn. Tacitus, l. XIV. « Vulgus est voluptatum cupidus, et si eo princeps trahat, lætum. » Denique, Philo lib. de Joseph: « Sicut coqui, inquit, omnia esculenta ad suavitatem oris comparant, utilia negligunt; sic ignobile vulgus securum de commodis, præsentem tantum voluptatem venatur. » Patuit certe in Hebræis per desertum peregrinantibus, qui licet manna, omnis generis ciborum continens saporem, haberent, ejus tamen nauseam ceperunt; quod ipsius color, odor, forma et similes qualitates semper eadem existerent, adeoque eorum appetitui minus placerent: quemadmodum gulones, pueri præsertim, qui sæpe non tam ventrem, quam oculos et phantasiam cibo saturare cupiunt, et si negetur, indignantur aut plorant. Hinc: *Vulgus promiscuum flagrat desiderio, sedens et flens, junctis sibi pariter filiis Israel, et ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis; in mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones porrique et cæpe, et allia.* Num. XI. Verum hæc eorum stulta plane concupiscentia Deum ad iracundiam concitavit, ut percuteret eos: *Plaga magna nimis; et Moysi res intoleranda visa est, quod nimirum populus cælesti et quasi angelico pane repudiato, desideraret terrestres et viliores longe cibos, mera ventris cura et curiositate.**

Deinde, in lucro comparando, juxta id Isa. 1. *Omnes diligunt munera; sequuntur retributiones.* Causa est, quod vulgus fere ex fæce hominum constat, qui cum excellentia et sublimia virtutum, scientiarum et cælestium rerum bona parum capiant, minus vero expendant; hinc ea parvi æstimant, vilioraque illa diligunt: et quia vicissim toti sunt immersi negotiis sæcularibus, quibus victum et temporalia sibi parant, videntque præsens commodum inde sibi emergens, vilitatem et pericula eorundem non cogitant, ideo se totos illis addicunt. Hinc Sapient. Sap. XIV. *Creaturæ Dei in odium (h. e. in*

abominationem seu idolum) factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium, non ex intentione Dei, sed ex hominum perverso iudicio et inordinato appetitu, qui creaturas in idola sibi deligunt et sectantur, uti mures laridi frustulum in decipula, sicque illis inescati capiuntur; quia periculum impendens non considerant: præsentia tantum bona amant, quantumvis vilia, viles vulgi animæ æterna, vera, et solida non curant. Sapienter id demonstrat apologus ille de quatuor muribus, duobus scilicet parentibus cum gemina prole; qui penuarium ingressi, ut satiant gulam, vident præpinguem arvinam aqualici suilli superne ad parietem e clavo dependentem. Monstrant eam prædam seniores junioribus, et hortantur ad ascensum, ac precando animant, rependo sursum in pariete. Sed diffidunt sibi, juniores et laborem fugiunt: interim humi subolefaciunt laridi modicam particulam, sed in muscipula repositam. Qua reperta devocant e pariete suos genitores, veluti ad prædam præ manibus existentem, nulloque labore constantem. Sed dehortantur illi, modicum id esse dicentes, et periculo plenum: ad sequelam potius suam invitant, velut melius edocti de murium captendulis, in quas ingresses quidem vidissent, sed non egressos. Surdi ad hæc juniores intrant in muscipulam, et miseri mox capiuntur, capti seniorum opem frustra implorant. Ita adamussim imperita hominum turba, licet a sapientibus invitentur ad superna et solida bona, quia vident ea procul posita et labore comparanda, eligunt potius terrena, veluti præsentia et modica, ac periculo salutis plena; sicque his inescati capiuntur miseri, frustra aliquando suam vesaniam deploraturi.

Secundo, sub dio in loco publico et periculo exposito, uti turba illa, de qua loquitur Christus. Unde glossa interlin. illud *jaentes* interpretatur *vana securitate torpentes*. Vana hæc securitas quasi propria est vulgo, uti passim testantur ss. litteræ. Apud Isaiam, c. XXVIII. dicunt: *Flagellum inundans cum transierit, non venit super nos: apud Isaiam, c. V. Non venit super nos malum; gladium et famem non videbimus*. Idem egit populus in diebus Noe, quando, teste Beroso, Noen vaticinantem diluvium deriserunt, et in summa securitate vixerunt: quomodo etiam vivent ultimis temporibus, teste Domino, Matth. XXIV. *Sicut in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, et nuptii tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii*

hominis. Addi possunt Tyrii, qui urbi suæ in mari sitæ nimium præfisi, nonnisi pygmæos præsiarios in ea posuisse dicunt Ezech. XXVII. et Jibusæus, qui claudos et cæcos in arce Sion, II. Reg. V. Verum et illi expugnati sunt a Nabuchodonosore, et iste a Davide. Quare, ob hanc ignaviam et securitatem, miseratone digna est hominum turba; tunc enim maxime ei exitium impendit, cum maxime securam se iudicat. Solet namque hostis explorare sedulo adversarium torporem, et tunc eos obruit. Ita sexcenti illi viri de tribu Dan, quærentes sibi possessionem, ubi deprehenderunt populum habitantem in urbe Lais vivere absque timore, securum et quietum, repente obruerunt urbem: *Et populum quiescentem atque securum percusserunt in ore gladii*, Judic. XVIII. Multo majori solertia dæmones observant populum torpentem et secure quiescentem. Hinc tam multi moriuntur ex plebe sine remediis animæ, quia rudis plebs non expendit sua pericula, pondus salutis et perditionis æternæ; ac proinde dormiunt in utramque aurem nimium præfisi suis viribus, aut Dei misericordiæ, ætati aut valetudini suæ, etc.

III. Quia sunt: *Sicut oves non habentes pastorem*: et primo, quia: *Multitudo, vulgimore, magis quam iudicio, post alium alius, quasi prudentiorem sequitur, sicut ovis ovem*, inquit Salustius ad Cæsar. Una ove de ponte vel navi desiliante in undas, cæteræ omnes sequuntur, tametsi enatare nesciant: una aberrante, cum ea aberrant omnes. Ita vulgus se habet: uno legem transgrediente, vel aliquid aliud impune audente, reliqui sequuntur et audent similiter. Funestum hujus rei exemplum legimus apud Æneam Sylvium in descriptione Europæ, cap. VII. et alios, qui expugnationem Constantinopolis describunt. Ibi enim cum præsiarii muros urbis exteriores contra Mahumetem fortissime defenderent, et Turcas jam pene ad desperationem usque repulissent, dum redintegratur oppugnatio, unus e præsiariis, Joannes Justinianus, vulneratum se videns, portam sibi, quæ ingressum ad civitatem occluserat intra pomerium, sibi aperiri petiit et obtinuit: qua semel aperta, præsiarii cæteri, et ipsi ordine sequi seseque subducere cæperunt; sicque, ubi cessatum a pugna, hosti truculento et barbaro florentissimam civitatem occupandam dederunt. Unicus ergo miles a pugna desistens, et ostium fugæ aperiens, omnes post se traxit. Idem, heu sæpissime, in negotio salutis accidit! Uno alterove jugum detrectante, cæterant omnes, uno desiliante in infernum, desiliunt et socii ejus. Quam ob causam dicitur Psal. XLVIII. *Sicut oves in inferno positi sunt*. Idem videre est

in vanitatum et novitatum imitatione, quæ si non delictum, saltem indicium est stultæ vanitatis et levitatis hominum, qui ab omni vento circumferuntur, velut *nubes sine aqua*, ut ait S. Judas, et veluti infantes, qui veteribus crepundis fractis et abjectis, nova alia et alia desiderant. Advenit aliquis, vel alibi inventum novum vestitum induxit in civitatem, statim videbis assecclas, qui imitantur: si non omnes, saltem plurimos. Id enim: *Omni multitudini insitum est, ut rerum novitate et immutatione lætetur*, inquit Agathias, l. III. Stupida enim plebs id solummodo plehrum existimat, quod novum et peregrinum est. Utinam ad virtutum imitationem, in quibus verus hominum ornatus consistit, tam prona et expedita foret! Sed heu miseria! Ad vitia sequenda promptissima est; ad virtutes vero difficillima! Sicut: « Exiguum absinthium, inquit D. Gregorius Nazianzenus in apologetico, amarorem suum melli celerrime impertiverit, mel e contra, ne duplo quidem majus, dulcedinem suam absinthio infuderit: ac parvo quidem lapide submoto, flumen totum in proum trahitur: ejusdem autem impetus firmissimo etiam aggere cohiberi reprimique vix potest. »

Secundo, quia sunt rudes et stupidi, quemadmodum et oves stupidissima sunt animalia: nulla pascua invenire, nec ab illis ad causas suas redire sine pastore sciunt. Hinc Exod. XXIV. præcipitur: *Non sequeris turbam ad faciendum malum*, quia nimirum parum luminis, parum intellectus habet. Joannes Pp. interrogatus, quid a veritate foret remotius: « Vulgi sententia, inquit. Quidquid enim laudat, vituperio dignum est: quidquid cogitat, vanum: quidquid loquitur, falsum: quod improbat, bonum est: quod approbat, malum: et quidquid extollit, inane. » Qualia vero sunt dictamina, qualia vulgi iudicia? Injuriam tibi et tuis factam talione vindicandam; inglorium et infamem esse qui id non faciat: duellum, si offeratur, acceptandum; nisi honorem perdere malis: in conviviis propinantibus ad æquales haustus respondendum; nisi facias, eos contemptis: ea nec villiori pompa, et corporis ornatu incedendum, quo solent alii in pari statu: ut consulas statui et familiæ tuæ, omnia tentanda, debita contrahenda, subditos premeandos, Ecclesiæ leges posthabendas, vitam et fortunam tuendas, etiam cum neglectu legis divinæ: non esse ferendas injurias, confusiones, verbera: et non curandum de debitis, quandoque tandem dissolvantur, quantumvis sero et cum creditorum damno: hominum respectum habendum: pecuniam ante omnia querendam, virtutem post nummos, et similia. Hæc

vulgi et stulta plebis philosophia et theologia est. Christianæ philosophiæ e diametro opposita, adeoque omni commiseratione digna: quia per hanc recta tendit ad interitum: proinde etiam spernenda et angue magis fugienda. Audiamus de hoc Chrysostomum, hom. II. in epist. ad Heb. « Cur non magis, inquit, ego contemnam eos, qui nesciunt admirari quæ digna sunt admiratione? Nam et pictor, si ab omnibus irrideatur atque reprehendatur, donec eos indoctos perspicit, et suæ artis expertes; illorum verba penitus non attendit, sed solo suo ipsius testimonio contentus est. Nos vero sinemus multorum opinioni subjacere? Propterea dignissimus qui contemnamur ob id, quod non magis vicissim eos contemnimus. » Prætantissimus ille statuarius Polycleetus eodem tempore duo simulacra fecit, alterum ad arbitrium plebis, alterum juxta peritiæ artisque normam. Gratificatus vero plebi hoc modo est. Ad singulorum accessum transposuit et commutavit aliquid, morem gerens uniuscujusque voluntati et dictationi. Itaque proposuit utrumque: et alterum quidem omnes admirationi, alterum ludibrio ac risui habuerunt. Respondens autem Polycleetus: *Ad hoc, inquit, quod vituperatis et reprehenditis, vos fecistis: quod vere suspicatis, ego. Producet aliquando suas statuas Deus, secundum ipsius legem effictas, justos videlicet; et ex altera parte vulgi statuas, juxta ipsius mentem et leges effictas et spectandas exhibebit toti mundo in iudicio. Ibi apparebit illorum fœditas et deformitas, qui juxta leges vulgi vitam instituerunt; pulchritudo vicissim eorum, qui juxta leges Dei. Hæc, dicet, mea est pictura, illa autem vestra est.*

Vidimus hominum turbam commiseratione dignam, quia jacet, quia vexata est, quia sicut ovis sine pastore est. Quid igitur superest, nisi ut e turba hac nos separemus, eique prorsus opponamus, nisi cum illa errare et perire velimus? Antisthenes philosophus, quodam die theatrum ingressus, adversus populum nitentem progrediebatur. Rogatus cur id faceret, respondit: *Hoc in omni facere vita studeo*, Laert. I. VI. Sensit hic sapientis esse in omnibus a vulgo dissentire. Idem agamus nos philosophi christiani; opponamus nos stultæ plebi, nec sequamur turbam, sed potius Dei legem in omni vita nostra, ut cum vere sapientissimis semper vivamus in cælo.

CONCIO III.

POENITENTIA, QUÆ IN MORTIS ARTICULO FIT,
SUSPECTA.

I. Quia valde difficilis. — II. Quia extorta magis quam spontanea. — III. Quia infirma nec valde laudabilis. — IV. Quia infrequens. — V. Quia Deo injuria.

THEMA.

Quidam enim ex eis de longe venerunt.
Marci VIII.

Sollicitum audimus Salvatorem nostrum super esurientem turbam, non habentem panes: præsertim super eos, qui procul valde adveniant: *Quidam enim ex eis*, inquit, *de longe venerunt*, q. d. istis maxime timeo, ne redeuntes domum fame succumbant: de illis, qui prope habitant parum aut nihil timendum. Doctissimus episcopus Halberstadiensis Haymo, super hoc. evangelium scribens, ita rem explanat: «Sunt multi in sancta Ecclesia, qui ab ipsis infantie suæ cunabulis manciantur in servitio Dei, et omni tempore vitæ suæ immaculate Deo servire student, sive in monasterio, sive in canonicatu: isti tales de prope veniunt, quia per illicita non erraverunt. Et sunt multi, qui post experta conjugia a Deo sibi concessa, et qui post divitias hujus sæculi bene dispensatas relinquunt sæculum, et veniunt ad servitium Dei: sed non veniunt de longinquo, quia legitimo conjugio usi sunt. Sunt etiam multi, qui post homicidia et adulteria, post sacrilegia ac perjuriam et rapacitates, post ebrietates innumeras, et post cætera hujus sæculi flagitia peracta relinquunt omnia mala, et convertuntur ad Deum in factis et cogitationibus. Isti tales de longinquo veniunt; quia, quanto amplius peccant, tanto longius a Deo recedunt, non corpore sed mente. His tales considerantes magnitudinem peccatorum, ne deficiant in consideratione peccatorum suorum, pascendi sunt jugiter verbo Dei.» Sic Haymo bene et sapienter. His enim postremis maxime metuendum, ne, si præsertim ad finem vitæ primum se convertere, et in patriam suam coelestem reverti velint, fessi deficiant in via. Istis igitur potissimum panis apponendus est; et quis magis salutaris, nisi seria consideratio maximi illius periculi, quod subeunt omnes illi, qui, postquam vitam suam in flagitiis consumpserunt, sub articulum mortis primum convertere se volunt? Quod hic ostendemus.

I. Sera illa poenitentia admodum difficilis est, non uno ex capite. Nam in primis perturbationes variae ægotantem occupant, ex morbi doloribus, ex timore mortis, ex amicorum lamentis, ex anteactæ vitæ, et quidem flagitiosæ, memoria,

et similibus, quæ mentem ei pene eripiunt, et a piis cogitationibus abstrahunt. Recte enim Cicero dixit III. Tuscul. quæst. «Quemadmodum oculus turbatus non est probe affectus ad suum munus fungendum, reliquumque corpus, cum a statu motum, officio suo ac munere deest; sic conturbatus animus non est aptus ad exequendum munus suum.» Recte etiam Plutarchus, libro de tranquillitate animi, dixit, rem morosam esse ægotationem; nam: «Ægotis uxor molesta est, et medicum incusant, et lectulum moleste ferunt: ex amicis etiam si quis accedit, gravis est, et qui discedit, molestus.» Optime igitur S. Basilius, oratione IV. de poenitentia. «Quid expectas, inquit, ut te febris ad poenitentiam vocet; cum neque salutaria verba amplius proloqui, neque quidquam accipere poteris, cum in ipso capite morbus inhabitet? Non manus ad cælum amplius tollere, non in pedes erigi, non genua flectere, cum precatio erit habenda, non commode doceri, non certo confiteri, non redire in gratiam cum Deo, non renuntiare inimicitis; et fortassis etiam neque intelligere, neque animo comprehendere mysteria divina poteris: siquidem præsentibus ambiant, an aliquem sensum eorum, quæ fiunt, habeas.» Quid facilius et consuetius homini, quam manus ad os ducere? At hoc tamen ægris difficile est. Meræ et perpetuæ audiuntur eorum querimonie. *Caput meum doleo, caput meum doleo*, clamabat puer ille solis radiis percussus, IV. Reg. IV. et aliud loqui vel agere non potuit. Quid? Ezechias rex, vir optimus, accepta mortis sententia, perturbatus fuit, nec aliud nisi lacrymari et mortem deprecari auditus est, Isa. LVIII. Verum omnium maximam parit difficultatem vitiosa vivendi consuetudo et diuturna vitiorum servitus. Scimus quam difficile expedierit se Jacob e servitute, quæ se ad septem annos obstrinxerat Laban socio suo pro Rachele filia. Illis enim exactis, dolose ab eo circumventus est, et ut totidem aliis annis servire ei cogeretur, Gen. XXIX. His etiam finitis rursus ab eo detentus adjecit annos sex prioris servituti duræ ac laboriosæ. Ad extremum igitur, quia se aliter expedire non potuit, fuga se proripere coactus est: sed et in fuga ab insequente, prorsus immitti hero, deprehensus, graviter objurgatus, non sine injuriosa sua substantiæ perscrutatione, Gen. XXXII. Ita nimirum dæmonis mancipia, ubi se in ejus servitio diutius detinuerunt, difficillime eripiunt: insequitur veterator improbus fugientes, et maxime cum e vita discedunt, affligit, admissorum scelerum assuetudinem, adeoque jam abdicandorum impotentiam, poenitentiaque difficultatem ingerens. indeque in desperationem saltem

neglectum impellens. Hinc monet Jeremias, c. XIII. § XVI. *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos.* Qui sunt hi montes caliginosi, nisi adversariæ fortitudines, dæmones, vitia insolita mortis, et gehennæ umbra oculis obversans, etc? In hos offendunt, qui ad mortem usque poenitentiam distulerunt: fugam parantes in tenebris, per vias dubias, præruptas, salebrosas, et latronibus circumsessas.

II. Extorta magis est quam spontanea. Morbus enim gravis et periculosus quid nisi equuleus quidam est, hominem metu mortis et judicii cogens ad confitendum et furtum abjiciendum? Fures et latrones, cum tormentis adiguntur ad fatendum scelera, per hoc a poenis non (saltem omnino) se liberant; quia non sponte sua, sed coacti a malefactorum sese continent. Semei etiam cum vidisset Davidem restitutum in regnum suum, obviam quidem exiit, petiitque ab eo veniam, et impetravit; sed ad tempus solum: postea enim David puniendum Salomoni commisit; quia non amor Davidis, sed timor servilis ad hoc eum compulit, II. Reg. VI. et III. Reg. Similis poenitentia fuit in Pharaone, quando plagis undique coangustatus, dixit ad Moysen: *Peccavi etiam nunc: Dominus justus, ego et populus meus impius*, Exod. IX. Verum ubi cessavit plaga, mox iterum reversus est ad priorem suam durtiem et rebellionem. Similis in Bena-dab, qui cum bello captus fuisset, ab Achab, mirum in modum coram eo se demisit, et ablatorum restitutionem promisit: ubi vero missus, et libertatem restitutus est, nihil præstitit, sed bellum denuo Achabo movit, in quo Achab cecidit, ut videre est apud Sanctum in III. Reg. XXI. § XXXIV. Similis in Nabuchodonosore, qui licet ad bestias exactus ad se tandem redisset, et Deum cæli adorasset; videtur tamen post restitutionem in regnum suum, rursus ad ingenium rediisse, cum non legatur idola abjecisse, nec ablata restituisse, neque e captivitate Judæos demisisse; ita ut non frustra dixerit ei Daniel, quasi dubitando de ejus poenitentia: *Peccata tua eleemosynis redime, etc. forsitan ignoscet* (Deus) *delictis tuis*, Dan. IV. Unde Salvianus, l. 4. de eccl. cat. ait: «Hoc ipsum, quod dicit forsitan, spem indicat, non fiduciam pollicetur. Ex quo intelligi potest, quam difficile jam in supremo positi peccatores qualibet munificentia ad perfectam indulgentiam pervenire possint: quoniam propheta ipse, qui suadet propitiationem Dei inquirendam, promittere tamen non ausus est promerendam; dat consilium de metu, et tamen dubitat de effectu: hortatorem se agendi, non impetrandi auctorem facit.» Denique, sic concludit: «Magna profecto, ut vere

pœniteat, ac denique salvetur, Dei misericordia, quia suam ad mortis angustias confessionem distulit, et largissima, qui dives est in pauperes, munificentia, ut Dei gratiam ex puncto mereatur, opus habet.» Qui similem vi extortam et instabilem poenitentiam in lege nova desiderat, inveniet in Valeriano tyranno, qui duodecim fratres Afros christianos per mare captivos secum ducens, cum exorta ingenti tempestate vitam desperasset, illorum fratrum opem et preces imploravit, Christianum se futurum pollicitus; verum cum, sedata divinitus procella, portum attingisset, voti sui oblitus, Christi virtutem Jovi adscripsit: ingratus plane cuculus; indeque martyres Romam ductos variis affectos cruciatibus enecuit, ut in eorum vita Alfanus episcopus Salernitanus, apud Lipel. 1. sept. Inveniet simillimum huic in præfeco Ariano, qui et ipse ad preces martyris Sabini, in mari ad desperationem usque jactatus, scripsit ad Sabinum verba hæc in scheda: *Unus est Deus Sabini, Christus Jesus, post quem non est alius.* Verum, ubi post hanc confessionem mare conquievit, et ipse ad portum appulit, martyrem tormentis dire cruciavit, et alligato demum ad collum saxo, in flumen demersit, apud Metaphr. in Lipel. 13. martii.

III. Infirma et parum laude digna est; quia offert Deo vitæ partem infirmiore, cum vix jam peccandi facultas est. Ita loquitur S. Augustinus, serm. XXXVII. de temp. «Poenitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est: poenitentia quæ a moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur.» Similiter Sanctus Basilius, oratione de poenitentia: «Quid facies, o homo, cum multum valeas in agendo, juventutem tuam in peccatis traducis; ubi vero in labore fracta fuerint instrumenta, tunc ipsa ad Deum adducis, cum illorum nullus sit usus, sed necessario labant ac torpeant ob longi temporis tabem?» Reprobavit Deus in veteri testamento victimas debiles, cæcas, claudas, aliisque defectibus obnoxias. Unde per Malachiam, capite I. versu VIII. ait: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum et languidum, nonne malum est? Et versu XIII. quæritur: Intulistis de rapinis claudum et languidum, et intulistis munus: numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus?* Ad quid vero hæc de victimis cura apud Deum, nisi quia sensu mystico tales requirit poenitentes, qui dum adhuc vegeti sunt, et vires ad bene vel male agendum habent, convertantur? Ita exponit eum locum Sanctus Petrus Chrysologus, sermone CIX. «Non inquit, offeras mihi claudum, non luscum, non mortis contagione pollutum, sed maturum sine macula. Hinc est quod apostolus